Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Biblia Latina - Cod. Aug. perg. 154

[Reichenau ?], [14. Jh.]

Schmuckinitiale

urn:nbn:de:bsz:31-42065

Visual Library

ridiem. Et fugietis ad vallem montium
meorum quoniam coniungetur vallis montium
usque ad proximum: et fugietis sicut fugi-
stis a facie terremotus in diebus Ozie
regis Iuda. Et veniet dominus deus meus: omnes-
que sancti cum eo. Et erit: In die illa non erit
lux: sed frigus et gelu. Et erit dies u-
na que nota est domino: non dies neque nox.
Et in tempore vesperi erit lux. Et erit: In
die illa exibunt aque vive de Ierusalem:
medium earum ad mare orientale: et
medium earum ad mare novissimum.
In estate et in hyeme erunt. Et erit dominus
rex super omnem terram. XV
In die illa erit dominus unus: et erit nomen
eius unum. Et revertetur omnis terra
usque ad desertum de colle Remmon
ad austrum Ierusalem. Et exaltabitur et ha-
bitabit in loco suo a porta Beniamin usque
ad locum porte prioris: et usque ad portam
angulorum: et a turre Ananehel usque
ad torcularia regis: et habitabunt in ea.
Et anathema non erit amplius: sed se-
debit Ierusalem secura. Et hec erit plaga qua
percutiet dominus omnes gentes que pugnaverunt adver-
sum Ierusalem. Tabescet caro uniuscuiusque sta-
ntis super pedes suos: et oculi eius conta-
bescent in foraminibus suis: et lingua
eorum contabescet in ore suo. In die illo
erit tumultus domini magnus in eis: et ap-
prehendet vir manum proximi sui: et conse-
retur manus eius super manum proximi sui.
Sed et Iudas pugnabit adversum Ierusalem.
Et congregabuntur divitie omnium gentium in
circuitu: aurum et argentum et vestes mul-
te satis. Et sic erit ruina equi et mu-
li et cameli et asini et omnium iumentorum que
fuerint in castris illis: sicut ruina hec. Et omnes qui
reliqui fuerint de universis gentibus que

venerint contra Ierusalem: ascendent ab anno in
annum ut adorent regem dominum exercituum:
et celebrent festivitatem tabernaculorum.
Et erit: Qui non ascenderit de familiis
terre ad Ierusalem ut adoret regem dominum exer-
cituum: non erit super eos imber. Quod si et fa-
milie Egypti non ascenderint et non venerint:
nec super eos erit: sed erit ruina qua percu-
tiet dominus omnes gentes que non ascenderint ad cele-
brandam festivitatem tabernaculorum. Hoc
erit peccatum Egypti: et hoc peccatum omnium gentium
que non ascenderint ad celebrandam festivitatem
tabernaculorum. In die illa erit quod super fre-
num equi est sanctum domino: et erunt lebetes
in domo domini quasi fiale coram altari: et
erit omnis lebes in Ierusalem et Iuda sancti-
ficatus domino exercituum. Et venient omnes
immolantes: et sument ex eis et coquent
in eis. Et non erit mercator ultra in do-
mo domini exercituum in die illa. Explicit
Zacharias. Incipit prologus Malachie prophete.

Deus per Moysen
populo Israel pre-
cepit: sacerdo-
tes tabernaculi
sui omni cor-
porali vitio
liberos hosti-
as omni vitio vacuas sibi offerre.
Quibus legem suam ad regendum populum
ob hoc dederat ut per sacrificiorum obla-
tionem infirmitati carnis et hominum sui populum
preceptis celestibus facerent obedire. Unde
sacerdotes angelos dici hoc loco scriptura
testatur. Sed quia tanti muneris gratiam con-
temptientes: super vitiis populus ac sacerdotes
sacrificia vitio decerpata ipsis criminibus
atque impietatibus maculati deo
offerre ceperunt: ideo per Malachiam prophetam